

IOANNES BERVS B'ASILIENSIS MILES.



Ioannes Basileæ ex honesta familia natus, & omni genere uirtutum optimè educatus est. Cum autem is adoleuisset, animum ad armorum studia conuertit, atque Heluetiorum castra uarijs in locis secutus fuit. Itaq; factum ut rei bellicæ magnam peritiā acquisierit, atq; ob multas animi & corporis uirtutes in magna autoritate extiterit. Contigit autē anno 1515 quod Heluetij, communi pagorum decreto, bellum contra Franciscum Galliæ regem pro Maximiliano Mediolanensi duce susciperent, atq; in Italiam expeditionem facerent. Cum itaq; & Basilien- ses Heluetiorum confederati se se ad id bellum accingerent, hunc Iohannem suum Signiferum elegerunt, atq; fortuna duce res magnas expedire iusserunt. Vnde Ioannes Ieto animo pro patria arma induit, & cum delecta manu suorum ciuium se reliquis Heluetijs coniunxit.